



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator  
communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 1. Recenter conversis prae aliis peccatorum illecebrae sunt periculosae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

## §. I.

*Recenter conversis præ aliis peccatorum illecebrae  
sunt periculosa.*

**E**Apropter peccatorum illecebræ ipsis præ aliis sunt periculosa. Multa quoque sunt ex se vel non mala vel non gravia, quibus tamen ita infirmi nisi cum proximo peccati discrimine nequeunt insistere. Hæc omnia sollicitius præ cæteris vitanda ipsis sunt, si peccati relapsum veraciter intendant cavere. Non se ad fortitudinem aliorum comparent; peccati enim occasio aliis parva aut remota, ipsis sæpè numero est proxima. Prudentiæ atque cautionis modus, melius non potest, quam ex iis quibus corporis sanitas custoditur, monstrari. Pone enim quempiam post febris abscessum, ex ejus reliquiis, ut fieri solet, corpore adhuc debilem, is certè infirmitate durante, si morbi recidivum veraciter evitare velit, cæteris se cautius custodit, omnibus etiam perfectè sano non nocivis, sed sibi ex sua indispositione noxiis abstinet; denique ea assumit quibus infirmitas paulatim excludi valet, ac robur sanitatis comparari. Hunc imitetur & animo infirmus.

Tametsi

Tametsi itaque ad veram conversionem opus non sit, omnem ex priori malo usu comparatam infirmitatem jam esse sublatam, necessarium tamen omnino est absolutum non relabendi propositum, & per consequens faciendi ea quæ durante infirmitate ad cavendum peccati recidivum sunt necessaria. Hinc non summum perfectionis gradum, non exactam pœnitentiam commissis peccatis debitam à Theodoro lapso ad conversionem postulabat Chrysosthomus. Sed quid?  
*Quantulumcumquè eum, inquit, qui hoc loci consistit, retinere sufficit, ne in contrarium relabatur.* Tanquam id infimum esset, sicut revera est, sine quo vera conversio nequit subsistere. Hinc eidem Theodoro delicta sua accusanti, seque reum arguenti dicit ipse idem Chrysosthomus: *Caterū tu confiteris peccata, teque tui miseret supra modum: scio equidem satis: verū id non requiro solum; cupio autem, ut te res aliqua justificet, ut primum te obsequentem præbueris.* *Quamdiu enim lucrosam intermittis confessionem illam, nihil est cur te accuses, quoniam nescis in posterum de peccatis discedere, &c.* Ne igitur peccatum atque accusator traduxeris, sed tanquam qui debet justificari per formam pœnitentiae: quo pacto animam confidentis assiduâ curâ licebit continere, ne quando ad vitia relabatur.

§.II.